



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

COLLA=||TIONVM SACRA-||RVM LIBRI VIII.

Bredenbach, Tilmann

Coloniae, 1584

VD16 B 7375

37. De Salutio Episcopo defuncto, ad cœlos deducto, corporiq[ue] rursum restituto, deq[ue] eius doctrina & virtutibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52445](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52445)

Colonienſium luctu in Sigeberg delatus, atque in medio Eccleſiæ ſepultus eſt, vbi quotidie per eius interuentum fideliter poſtulantibus multa præſtantur diuinæ opitulationis beneficia.

*Gregor. Turon. lib. 7. ca. 1. historia Francorum.
De Saluio Episcopo defuncto, ad celos deducto, corporiq; rursus restituto, deq; eius doctrina & virtutibus.*

CAP. XXXVII.

Saluius Episcopus, vt ipse referre erat solitus, diu in habitu seculari commoratus, cum iudicibus sæculi mundiales causas est executus, nunquam tamen se in his concupiscentijs obligans, quibus adolescentum animus solitus est implicari. Iam cum diuini spiramenti odor interna viscerum attingisset, intellexitque vir iam tunc diuinitati deditus, melius esse vti paupertate cum DEI timore, quàm seculi pereuntis lucra sectari, in quodam monasterio diu sub regula à patribus instituta versatus est. Iam verò cum in robore maiori tam intellectus quam ætatis euectus esset, defuncto Abbate, qui huic monasterio præerat, alendi gregis suscipit officium. Et qui se magis fratribus publicum pro correctiõe redere debuerat, sit assumpto honore remotior: illicò sibi secretiorem cellulam quærit. Nam in priore, vt ipse adseribat, amplius quam nouem vicibus nimia exesus abſtinentia, pellem corporis demurauit, deinde accepto honore, cum

cum in hac contentius parsimonie orationi et
lectioni vacaret, illud plerunque reuoluebat,
melius sibi fieri, si esset inter monachos oculi
tus, quam nomen acceperit Abbatis in popu-
los. Quid plura? Includitur, valedicens fratri-
bus, sibi que ipsis valedicentibus: in qua incli-
sione in omni abstinentia magis quam prius
egerat, commoratur: studens pro charitatis ob-
sequio, ut cum quisque venisset extraneus, et
orationem tribueret, Eulogias gratia plenissi-
ma ministraret, quæ multis infirmis plerumque
salutem integram detulerunt. Quodam autem
tempore, febre nimia exhaustus, anhelus iace-
bat in lectulo. Et ecce subito magno lumine
cellula clarificata contremuit. At ille exten-
sis ad cælum manibus, cum gratiarum actio-
ne, spiritum exhalauit. Mixto quoque vultu
monachi, cum ipsius genitrice corpus defun-
cti extrahunt, aqua diluunt, vestimentis in-
dunt, & feretro superponunt, atque in psalle-
tio fletuque labentem exigunt noctem. Mane
autem facto funeris officio preparato, corpus
moueri cœpit in feretro. Et ecce malis rube-
scentibus vir quasi de graui somno suscitatus
excutitur, apertisque oculis & manibus electis,
ait, O Domine misericors, quid fecisti mi-
hi, ut me in hunc tenebrosam mundanæ habi-
tationis locum redire permitteres, cum multo
melior esset in cœlo tua misericordia, quam
istius mundi vita nequissima? Stupentibus
tem suis, & interrogantibus, quid fuerit talis
proo-

prodigium, nihil interrogantibus ille respon-
dit. Surgens autem de feretro, nihil mali sen-
tiens de incommodo quo laborauerat, triduo
absque cibi & poculi perstitit alimento. Die
autem tertio conuocatis monachis & matre
ait. Audite ô dilectissimi, & intelligite, quia
nihil est quod cernitis in hoc mundo: Sed sūt
iuxta id quod Salomon propheta cecinit: Om-
nia vanitas: fœlix enim est, qui ea agere po-
test in sæculo, vt gloriam Dei cernere merea-
tur in cœlo. Et cum hæc diceret, dubitare cœ-
pit, vtrum loqueretur amplius, an fileret. Quo
tacente implicitus fratrum precibus, vt quid
vidisset, exponeret, ait: Cùm me ante hos qua-
tuor dies contremiscente cellula exanimem
vidistis, adprehensus à duobus angelis in cœ-
lorum excelsa sublarus sum, ita vt non solùm
hoc squalidum sæculum, verumetiam Solem
ac Lunam nubes & sydera sub pedibus habere
putarem: deinde per portam luce ista clario-
rem introductus sum in illud habitaculum,
in quo omne pauimentum erat quasi aurum
argentumque renitens, lux ineffabilis, ampli-
tudo inenarrabilis, quam ita multitudo pro-
miscui sexus obtexerat, vt longitudo ac lati-
tudo cateruæ prorsus peruideri non possit.
Cumque nobis via inter comprimentes ab his
qui præcedebant, angelis pararetur, perueni-
mus ad locum, quem iam de longinquo contē-
plabamur: in quo superpendebat nubes omni
luce lucidior, in quo non sol, non luna, non a-
strum,

E e e

strum,

Arum cerni poterat, sed super his omnibus naturali luce splendidius effulgebat. Et vox procedebat de nube, tanquam vox aquarum multarum. Ibi etiam me peccatorem salutabat humiliter viri in veste sacerdotali ac seculari, quos mihi, qui præcedebant, enarrauerunt esse martyres ac confessores, quos hic summo excolimus famulatu. Stans igitur in loco, in quo iussus sum, operuit me odor nominis suauitatis, ita ut hac suauitate resecus nullum adhuc cibum potumque desiderem. Et audiui vocem dicentem: Reuertatur hic in seculum, quoniam necessarius est ecclesijs nostris. Vox enim audiebatur, nam qui loquebatur, penitus cerni non poterat. Et ego prostratus super pavementum cum fletu dicebam: Heu, heu domine, cur mihi hæc ostendisti? His frustrandus eram? Ecce hodiè eijs misericordiam facie tua, ut reuertar ad seculum fragile, huc ultra redire non valeam. Ne quæso Domine auferas misericordiam tuam à me, sed precor ut permittas me hic habitare, ne decidens peream. Et ait vox quæ loquebatur mihi, Vade in pace, ego enim sum custos tuus donec reducam te in hunc locum. Tunc reuersus à comitibus meis descendens cum fratribus per portam, qua ingressus fueram, huc sum ingressus. Hæc eo loquente, stupentibus cunctis qui aderant, coepit iterum sanctus Dei cum thymis dicere: Væ mihi, quia tale mysterium ausus sum reuelare. Ecce enim odor suauitatis

tis, quem de loco sancto hauseram, & in quo per hoc triduum sine vlllo cibo potuque sustentatus sum, recessit à me. Sed & lingua mea grauibus est operata vulneribus, & ita tumefacta, vt omne os meum videatur implere. Et scio quia non fuit beneplacitū Domino Deo meo, vt hæc arcana vulgarentur. Sed tu nosti Domine, quia in simplicitate cordis hæc feci, non in iactantia mentis. Sed quæso indulgeas, & non me derelinquas iuxta pollicitationem tuam. Et hæc dicens siluit, & accepit cibum potumque. Ego verò hæc scribens, vereor ne alicui legenti sit incredibile, iuxta id quod Salustianus historiam scribens ait, vbi de virtute atque gloria bonorum memor est: Quæ sibi quisque facilia factu putat, æquo animo accipit: supra ea veluti ficta pro falsis ducit. Nam testor Deum omnipotentem, quia ab ipsius ore omnia quæ retuli, audita cognoui. Post multum verò tempus ipse vir beatus cellula sua extractus, ad Episcopatum electus, inuitus est ordinatus: in quo vt opinor, decimum annum cum ægeret, inualescente apud Albigensem urbem inguinario morbo, & maxima iam parte de populo illo defuncta, cum iam pauci de ciuibus remanerent, vir beatus tanquam bonus pastor, nunquam ab illo loco recedere voluit, sed semper hortabatur eos, qui relictī erant, ad orationi incumbere, ac vigilijs instanter insistere: & bona semper tam in operibus, quam in cogitatione versare, dicens, Hæc agite, vt si

*S. Saluiss
hortatur ad
insistendū
rationib. vi-
gilijs & bo-
nis operib. et
sanctis cogi-
tationibus.*

Ecc a vos

vos Deus de hoc mundo migrare voluerit, ne in iudicium, sed in requiem introire possitis. Cùm autem ut credo, iam reuelante Domino, tempus suæ vocationis agnosceret, ipse sibi sarcophagum composuit, corpus abluit, vestem induit: & sic intentum semper cœlo beatum spiritum exhalauit. Fuit autem magna sanctitatis, minimæque cupiditatis, aurum nequam habere volens: nam si coactus accepisset, protinus pauperibus erogabat. Cuius tempore cum Mummulus patritius multos captiuos ab ea vrbe duxisset, persecutus ille omnes redemit. Tantamque ei Dominus gratiam in populo illo tribuit, ut ipsi etiam, qui captiuos duxerant, & de precio ei concederent, & in reliquo numerarent: & sic patriæ suæ captiuos libertati pristinæ restaurauit. Multaq; de hoc viro bona audiui: sed dum ad historiam reuertere cupio, plurima prætermitto. Hæc in Gregor. Turon. Diligenter autem in hac historia notanda sunt verba huius beatissimi Saluuij, quibus ait: nihil esse quod cernimus in hoc mundo, sed omnia meram esse vanitatem: felicem verò illum, qui sic agat in seculo, ut gloriam Dei cernere mereatur in cœlo. Notandum etiam dissimilem historiam refert Venerabilis Beda in Anglica historia. Furseo, qui cum acerrimas dæmonum accusationes sustinuisset, tormenta quoque maleficorum & gaudia beatorum conspexisset, diuino iussu huic vitæ restitutus, ingemiscens deplorabat magnitudinem humanæ stultitiæ, arduumque

*Virtutes S.
Saluuij Episc.*

*Beda l. 3. c. 19
hist. Anglic.*

*Magnitudo
stultitiæ hu-
mana.*

que & difficilem transitum, immensamque felicitatem remunerationis peruenientium ad beatas sedes. Hæc si crebrò considerarent homines, si iuxta Prophetam, saperent & intelligerent, ac nouissima prouiderent, non tam ceco amore caducis momentaneisque huius mundi illecebris inhiarent. Non ineptè olim præposterarum hominum cogitationes & studia risit Satyricus, O curas hominum, ô quantum est in rebus inane. Aptissimè verò doctissimus ille ac pientissimus Adamus: O æternitas, inquit, quàm rarè versaris in mētibus hominum. Et idem alibi: Nihil ad superbiam, & cupiditatis vitiorumque omnium euerfionem æquè facit, vt meditatio mortis, & eorum que mortem sequuntur. Et quemadmodum nemo qui gehennam ob oculos habet, gehennam incidere, ita nemo qui gehennam è mente seponit, gehennam euadere poterit. Insuauis quidem hæc est meditatio, inquit, sed quid tum? Etenim & pharmaca insuauia sunt, non tamen abhorremus, eo quod vtilitatem adferant.

Æternitas.

Adamus Satisfactus.

mil. 1. Dom. 1

Quadrages.

D. Gregor. Magnus lib. 4. Dialogorum cap. 14. & homilia 15. in Euangelia. De felici transitu seruuli Paralytici, eius elemosynis & patientia, & fragrantissimo odore in morte eius.

CAP. XXXVIII.

IN porticu quæ euntibus ad Ecclesiam B. Clementis est peruia, fuit quidam seruulus

Ecc 3 lus